

_Lettera_N_4393

Al papa Leone XIII

[Torino, 5 novembre 1886] Beatissime Pater,

Sacerdos Joannes Bosco Rector Major societatis presbyterorum a S. Francisco Salesio nuncupatae ad Pedes Beatitudinis vestrae provolutus humillime sequentia exponit: Haec humilis societas decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 28 Junii 1884 a munificentia vestra communicationem omnium privilegiorum cum Congregatione SS. Redemptoris consecuta est. Nunc autem, ad excludenda omnia dubia suborta circa extensionem hujusmodi concessionis | ad aliqua privilegia huic Societati per necessaria, et ad omnes conscientiarum anxietates, in iisdem utendis, de medio penitus tollendas, orator suppliciter exorat, ut Benignitas vestra dignetur;

1° Extendere pro hac Pia Societate eandem communicationem in forma speciali cum clausulis motu proprio, ex certa scientia, vel ex plenitudine apostolicae potestatis etiam ad ea Privilegia, quae specialem mentionem requirerent, uti sunt: Altaria Privilegiata, officia propria, exemptio a jurisdictione ordinariorum quoad visitationem Ecclesiarum non Parochialium, facultates ordinum titulo Congregationis ad quemcumque catholicum Episcopum Latini ritus praesertim pro missionariis et extra Italiam.

2° Declarare et indulgere, ut omnia et singula privilegia modo recensita jam | concessa a Summis Pontificibus Praedecessoribus vestris, et praecipue a felic[is] record[ationis] Pii VI Brevi Sacrosanctum Apostolatus 21 Augusti 1789, et Pii VII Brevi Qui sicut 9 Januarii 1807, Congregationi SS. Redemptoris, ejusque superioribus, personis, ecclesiis et domibus, tam generaliter, quam specialiter, non tantum directe dictae congregationi tributa, sed etiam quae ipsi obvenerint per viam communicationis specialis cum omnibus religionibus, et praesertim cum tribus congregationibus, videlicet piorum operariorum, doctrinae christianae, passionis D. N. Jesu Christi, et cum aliis similibus clericorum seu Regularium, seu Saecularium Congregationibus quocumque nomine nuncupatis, sive quoad Privilegia, Facultates, Indulta, Exemptiones, Indulgentias, remissiones peccatorum aliasque gratias spirituales hactenus concessa, sive | quoad illa in posterum pari modo concedenda, quamvis Speciali mentione digna, prout expressa et inserta sunt tamquam de verbo ad verbum in duobus praedictis Brevibus Pii VI et Pii VII, ita Salesianae Congregationis evadant et fiant propria, ut ipsa illis omnibus in posterum uti, frui et gaudere libere ac licite possit et valeat, perinde ac si specialiter, et expresse ac pari formiter, et aequo ac principaliter eidem concessa fuissent.

Pro qua gratia

[Sac Johannes Bosco]